



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 5. Sanguis Christi optimum antidotum contra desperationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)



que idcirco, in sanguine suo moriantur. Impij illi adamante sunt duriores: adamas hirci sanguine dicitur liquefcere; illi autem neq; Christi quidem sanguine molliuntur. Homines autem carnales Adonidis sanguinem sanguini Christi anteponunt. Hinc ineluibili desperationis nota maculantur; quæ est totius malitiæ complementum. Nam vt D. Chrysoftomus ait, *Peccantes non dolere magis Deum exacerbat, quàm peccare. Hominem quidem exacerbat, & amicos, & vicinos rogas: & siue semel, siue amplius te repulerit iratus, non recedis, sed auges supplicationem; Deo verò tuo exacerbato, oscitas, & recedis, & delictis vacas: quomodo non ex hoc ipso magis irritabis eum? Quapropter dignus es terram subire, nec hunc solem intueri, neq; penitus spirare; quòd tam facilem habens Dominum, & eum exasperas, & exasperans pœnitentiam non agis.*

S. Chry-  
soft. hom.  
46. ad po-  
pulum,

§. V.

*Sanguis Christi optimum antidotum  
contra desperationem.*

Quid ergo tanta Dei facilitas? quid patientia? quid clementia exigit? vt ne impij quidem, & toti carnei desperent. Ad hoc Deus homo factus est, ad hoc sanguinem fudit, vt impijs iratum iudicem placaret, vt

Bb 3

homi-



hominem animale[m] spirituale[m] faceret: ut nemo, quantumuis flagitiosus, damnaretur. Qui igitur desperant, desperant tantum quia volunt, non quia debent. Immo non potest desperare, quisquis vult misericordias Domini ante oculos ponere, atque id expendere, quod peccatoribus grauissimis tam benignus pater exhibuit. Si enim eos ex coeno extraxit, qui toti in eo erant sepulti; an non poterunt extrahi, qui pedibus duntaxat luto immerguntur? In altera vita iustitiam suam magis, in hac magis misericordiam suam vult ostendere: quam ut maximè manifestet, manifestat erga maximos peccatores. Pertinacissima sunt quaedam scelera, fateor; sed longè potentius est antidotum sanguis Christi ad sanguinem peccati abluendum. Quid sanguis Christi non posset, si sanguis martyrum tam efficax est, à Christi sanguine vim trahens? Nam vel istum legimus, duros tales, saxeosq; emolliisse, atque molles solidasse in virtutem; ut, infinita Numinis bonitate cognita, omnem mollitiem voluptatè[m]que improbam, in fortitudinem, patientiamq; commutarent; martyrum Deum, usq; ad tormenta exquisitissima, mortem amantium, exemplo.